

ad Philipp. ad Coloss. ad Philem. ad Titum, ubi tamen nihilo plus quam in *edit. suprac.* ut adeo querelae de mutilis hujus *Epistolae* Commentariis, quam Editor *fol. 287.* tollit, e nostro *Cod.* mederi nequeamus. Finem facit *Epistola ad Hebraeos*, quae et ipsa tamen in iis ad C. 13. verbis: *beatus petrus hortatur dicens christus passus est* — abrumpitur. Ut vero initium etiam *Codicis* adponamus, incipit ille: *A Chorointho Civitate Metropoli Achaiae Regionis. scripsit apostolus paulus romanis &c.* Id ceterum peculiare habet, quod in usum fortassis Orationum sacrorum titulis Capitum plerumque adscriptum sit nomen *Dominicae* aut *Festi* cuiuspiam, quod nempe talis Capituli materia pro concione illa die habenda subservire queat. *Commentaria* Nostri in *Apocalypsin* indicantur *Cod. CCLXXXIII.*

CXVII. VIII. E. 3.

352 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 100. f. per duas columnas scriptus, variisque in locis ope marginum subpletus in ipsa Theca exteriori: *Glose magistri Gisleberti in paulum apostolum*, *fol. vero et p. 1. Glosata* vel *Glosatura magist. Gisleberti in paulum apostolum* inscribitur. Atque hac ipsa voce utitur *Albericus Monach.* in *Chron.* dum ait *Gilbertum* (*Gislebertum*, *Gislebertum*) *Romae laudatum fuisse*, quod correctus (ob opinan-

di licentiam) *fecisset minorem Glossaturam continuam in Psalterium et in Epistolas Pauli.* Quod addit: *insequendo dicta Beati Augustini et alia, quae recipiuntur*, manifeste probat, de nostro praesenti *Commentario* Sermonem ei fuisse; quamvis enim ex *Ambrosii* etiam, *Origenis* et *Hieronymi* dictis conflatus sit, maximam tamen paginam *Augustinus* facit. Est vero *Gilbertus* hic famosus ille *Picaviensium* Antistes dictus *de Porreta* a. 1154. vivis exemptus, de quo copiose *Oudinus* T. II. col. 1276. Opus illius, quod prae manibus habemus, ut scripta non desint Exemplaria, quae in *Lelongii Bibl. Sacra*, *Montefalconii Bibl. Biblioth. Mss.* et ipso *Oudino* habes, typis nunquam expressum putem, idque ideo, quod pene nunquam propriis verbis utatur Autor, PP. dicta recitare contentus. Codex unus e tribus, qui in *Catal. Bibl. Reg. Paris.* P. III. T. III. p. 299. indicantur, *Oudino* teste incipit: *Sicut Legis ita et Evangelii &c.* ex quo infero, Exemplo nostro *Praefationem* deesse; initium enim ejus est ab Exordio *Epistolae ad Romanos: Paulus Servus &c. More scribentium epistolas premittit salutationem &c.* Deficit in Expositione *Epistolae II. ad Timotheum* c. 3. his verbis: *errantes ipsi et alios in errorem mittentes. Quales sunt qui se ad temptationes non parant sed huius seculi felicitatem* — —.

CXVIII. VI. C. 10

136 Codex membraneus lat. Sec. VIII. Folior. 78. f. formae oblongae, probe scriptus, sed marginibus a tempore adrosis, atramentoque hinc inde evanido continet *Incerti Commentaria in Epistolam Pauli ad Romanos*, quae absque titulo continuo sic incipiunt: *Principia rerum requirenda sunt ut notitia earum possit haberi &c.* Atque ita usque ad finem fine ulla divisione in Capita aut Sectiones decurrunt, adspersis va-

riis aut in margine aut inter lineas emendationibus five supplementis, quorum singulare glossema Theotiscum *uuder uuindende* verbis Pauli *reciprocam mercedem recipientes* c. I. v. 27. nobis fol. 9. p. 2. impositum. Ultima verba sunt: *quia si beneficiorum eius memores sumus semper nos tuebitur. sicut dicit ecce ego inquit uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Amen. Fol. ult. p. 2.* haec sequuntur: *Incipiunt uersiculos.*

*Codicis huius ouans uolui confringere penna.
Spinas quas animo scriptor congeffit inerti.
Quique legis precibus pro me pulsare tonantem.
Digneris ualeas si christi uiuere regno.*

Item alii.

*Qui sternit per bella truces fortissimus heros.
Rex carolus nulli cordis flugore (fulgore) secundus.
Non passus sentes mendarum serpere libris.
En bene correxit studio sublimis in omni.*

Uuinidbarius peccator scripsit istum librum Amen. Explicit Liber, quem dictauit origenis In illis diebus christianus fuit. Sed postea deprauatum est mens eius post uana. sed uos qui legitis non dubitetis, legere quia proficit uobis si retinetis. Et orate pro scriptore si habeatis deum adiutorem In die iudicii. sic fiat fiat fiat. amen amen. amen. Falli se passus est a *Winidbario Lambecius*, qui de praesenti Codice agit L. VIII. p. 645. Explanationemque *Origeni* tribuit, hic enim, cum anno 253. decesserit,

autor Operis esse nequit, in quo *Photini* haeresis memoratur annis demum 347 — 49. damnata, ipso *Photino* an. 376. juxta *Hieronymi* computum ad plures digressio. Atqui hoc in praesenti fit Commentario ad ipsum *Pauli C.* I. v. I. nobis fol. I. p. 2. *Ambrosii* potius nomine illum diu multumque gavisum fuisse testes sunt Editores *Ambrosii Mauriani* in *Admonitione* illi praemissa ad *calcem* T. II. inter *Traclatus suppositios* p. 21. quibus utinam et nostrum Exemplar inspicere contigisset,